

ÉRTEKEZÉSEK  
A NYELV- ÉS SZÉPTUDOMÁNYOK KÖRÉBŐL.  
KIADJA A MAGYAR TUD. AKADÉMIA.

AZ I. OSZTÁLY RENDELETÉBŐL  
SZERKESZTI  
SZINNYEI JÓZSEF  
OSZTÁLYTITKÁR.

XXIV. KÖTET 9. SZÁM.

AD CICERONIS DE FINIBUS


L. I. 7, 23. ET III. 12, 40.

SCRIPSIT

GEYZA NÉMETHY  
SODALIS ORDINARIUS

*Commentatio in consessu Academiae Litt. Hung.  
die 15. Nov. ann. 1926. recitata*

BUDAPEST.  
1927.



# AD CICERONIS DE FINIBUS

L. I. 7, 23. ET III. 12, 40.

SCRIPSIT

GEYZA NÉMETHY

SODALIS ORDINARIUS

*Commentatio in consessu Academiae Litt. Hung.  
die 15. Nov. ann. 1926. recitata*

BUDAPESTINI

SUMPTIBUS ACADEMIAE LITTERARUM HUNGARICAE  
MCMXXVII.

Királyi Magyar Egyetemi Nyomda Budapest. — Főigazgató: Dr. Czákó Elemér.

# AD CICERONIS DE FINIBUS

L. I. 7, 23. et III. 12, 40.<sup>1</sup>

## I.

In primo De Finibus libro Torquatus, Epicuri sectator, e Cicerone quaerit, quae sit causa, cur minus Epicurum probet. Cicero igitur breviter totam Epicuri philosophiam percurrit, ut demonstret, quid in physicis, dialecticis, ethicis eius desideret et reprehendat. Agitur autem de physicis l. I. c. 6.; sequuntur deinde c. 7. §. 22. dialectica:

„VII. 22. Iam in altera philosophiae parte, quae est quaerendi ac disserendi, quae λογική dicitur, iste vester plane, ut mihi quidem videtur, inermis ac nudus est. Tollit definitiones, nihil de dividendo ac partiendo docet, non, quo modo efficiatur concludaturque ratio, tradit, non, qua via captiosa solvantur, ambigua distinguantur, ostendit; iudicia rerum in sensibus ponit, quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse omne iudicium veri et falsi putat. 23. *Confirmat autem illud vel maxime, quod ipsa natura, ut ait ille, sciscat et probet, id est voluptatem et dolorem.* Ad haec et, quae sequamur, et, quae fugiamus, refert omnia.“

Locum admodum difficilem nemo usque ad hodiernum diem probabili ratione explicare potuit. Plurimi enim §. 23. ad ethica transiri putant neque scriptorem sic occulte dialectica omisisse et ad reprehensionem tertiae partis venisse credunt. Lacunam igitur latere statuunt ante §. 23. censentque excidisse in codicibus finem reprehensionis alterius partis,

<sup>1</sup> De his duobus locis iam disputaveram in Actis Societatis Philologorum Budapestinensis (*Egyetemes Philologiai Közlöny* tom. XXIV. p. 779.) Nunc autem meliora doctus eandem quaestionem iterum tractandam mihi proposui.

id est λογικῆς, et initium eorum, quae ad tertiam partem, ad ethica, pertinent. Obscura sunt deinde verba: „*ipsa natura . . . sciscat et probet . . . voluptatem et dolorem*“; nam secundum Epicuri disciplinam natura dolorem *probare* nullo modo potest.

Sed mea quidem sententia tres quaestiones sunt hoc loco solvendae, quibus recte solutis omnis tollitur difficultas. Quaerendum est enim *primum*, sitne lacuna statuenda an non, *deinde*, quid verba *confirmat autem illud* significant, *tum*, quo modo sint verba ipsi Epicuro tributa: *sciscat et probet* interpretanda?

Quod ad primam quaestionem attinet, videamus verba, quae *confirmat* etc. antecedunt. Nam Cicero hoc loco *de iudicio veri et falsi secundum Epicurum*, id est de criterio Epicureo disputat, cum dicit: „Iudicia rerum in sensibus ponit, quibus si semel aliquid falsi pro vero probatum sit, sublatum esse *omne iudicium veri et falsi* putat.“ Totus autem Epicuri de dialecticis liber tractavit iudicium sive criterium veritatis eratque inscriptus *Κανὼν ἢ περὶ κριτηρίου*, quod non fefellit Ciceronem, qui in libro De nat. deor. I. 16, 43. haec verba Graeca ita in Latinum transtulit: „Illo caelesti Epicuri *de regula et iudicio* volumine.“ Quaerendum est igitur, quae fuerint secundum Epicurum iudicia veritatis consulendusque est nobis Diogenes Laertius, uberrimus philosophiae Epicureae fons, qui I. X. c. 31. haec dicit; „*Ἐν τοίνυν τῷ Κανόνι λέγων ἐστὶν ὁ Ἐπίκουρος κριτήρια τῆς ἀληθείας εἶναι τὰς αἰσθήσεις καὶ προλήψεις καὶ τὰ πάθη.*“ Idem dicit Latine Cicero Lucull. 46, 142: „Aliud Epicuri iudicium est, qui omne iudicium in sensibus et in rerum notitiis et in *voluptate* constituit“, ubi *iudicium* procul dubio *κριτήριον* significat, sensus autem *αἰσθήσεις*, *rerum notitiae προλήψεις*, *voluptas πάθος*. Ceterum haec *πάθη* Epicurea idem Diogenes Laertius I. X. c. 34. ita explicat: „*Πάθη δὲ λέγουσιν εἶναι δύο, ἡδονὴν καὶ ἀλγηδόνα, ἰστάμενα περὶ πᾶν ζῶον, καὶ τὴν μὲν οἰκτεῖον, τὴν δὲ ἀλλότριον, δι' ὧν κρινεσθαι τὰς αἰρέσεις καὶ φυγᾶς.*“ Eodem spectant *Aristoclis* verba apud Euseb. Praep. Evang. XIV. 21. p. 768: „*τῆς αἰρέσεως καὶ φυγῆς ἀρχὴν καὶ κριτήριον ἔχειν ἡμᾶς τὴν ἡδονὴν καὶ τὸν πόνον*“,

quod Cicero l. I. ita exponit: „*voluptatem et dolorem*. Ad haec et, quae sequamur, et, quae fugiamus, refert omnia“.

Iam vides Ciceronis de sensibus verba cum expositione doctrinae de voluptate et dolore aptissime cohaerere. Agitur enim de criterio Epicureo eaque, quae auctor de voluptate et dolore dicit, non ad ethica, sed ad dialectica, i. e. ad gnoseologiam Epicuri pertinent, scilicet ad duo πάθη (ad voluptatem et dolorem), criteria veritatis. *Nulla est igitur lacuna statuenda*, quoniam scriptor hoc loco non ad novam rem, non ad ethica transit, sed pergit in expositione eiusdem rei, id est criterii Epicurei. Ceterum in codicibus lacunae nota nulla exstat, cohaerentiam autem syntacticam inter §§. 22. et 23. non esse perturbatam quivis grammaticae Latinae peritus primo obtutu videt.

Quibus ita expositis sequitur iam altera quaestio, quid verba *confirmat . . . voluptatem et dolorem* significant. Recordemur igitur sententiam antecedentem: *sublatum esse omnne iudicium veri et falsi putat*, quam proxime sequuntur verba: *confirmat autem illud*. Nonne verisimile est pronomen *illud* ad *iudicium* pertinere? Plana fiunt omnia, si sententiam in quaestionem vocatam ita interpretamur: *Confirmat autem illud iudicium veritatis vel maxime . . . id est voluptatem et dolorem*, ubi *voluptas* et *dolor* appositionum vice funguntur referunturque ad *iudicium veritatis*. Sunt enim voluptas et dolor, ut iam vidimus, *κρητήρια τῆς ἀληθείας* verbumque *confirmat* obiecto suo *iudicium* aptissime iungitur. Haec autem verba: *confirmat illud iudicium vel maxime* idem significant, quod: *maximam vim tribuit illi iudicio*.

Epicurus igitur, cum tria constituisset veritatis iudicia, Cicerone teste maximam vim illi iudicio tribuit, quod πάθος vocavit, id est voluptati et dolori. Idem testatur *Sextus Empiricus*, gravissimus auctor, qui sententiam Epicuri ita exponit *Adv. dogmat.* I. 203: „ὡς γὰρ τὰ πρῶτα πάθη, τουτέστιν ἡδονὴ καὶ πόνος ἀπὸ ποιητικῶν τιῶν καὶ κατ' αὐτὰ τὰ ποιητικὰ συνίσταται, ὅλον ἢ μὲν ἡδονὴ ἀπὸ τῶν ἡδέων, ἢ δὲ ἀλγηδῶν ἀπὸ τῶν ἀλγεινῶν, καὶ οὔτε τὸ τῆς ἡδονῆς ποιητικὸν ἐνδέχεταιί ποτε μὴ εἶναι ἡδὸν οὔτε τὸ τῆς ἀλγηδόνος παρεκτικὸν μὴ ὑπάρχειν ἀλγεινόν, ἀλλ' ἀνάγκη καὶ τὸ ἡδον ἡδὸν καὶ τὸ

ἀλγῦνον ἀλγεινὸν τὴν φύσιν ὑποκείσθαι, οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν φαντασιῶν παθῶν περὶ ἡμᾶς οὐσῶν τὸ ποιητικὸν ἐκάστης αὐτῶν πάντη τε καὶ πάντως φανταστὸν ἔστιν, ὃ οὐκ ἐνδέχεται ὄν φανταστὸν, εἰ μὴ ὑπάρχοι κατ' ἀληθείαν τοιοῦτον, οἷον φαίνεται ποιητικὸν φαντασίας καθεστάναι. Καὶ ἐπὶ τῶν κατὰ μέρος τὸ παραπλήσιον χρῆ λογίζεσθαι. Τὸ γὰρ ὄρατὸν οὐ μόνον φαίνεται ὄρατὸν ἀλλὰ καὶ ἔστι τοιοῦτον ὅποιον φαίνεται, καὶ τὸ ἀκουστὸν οὐ μόνον φαίνεται ἀκουστὸν, ἀλλὰ καὶ ταῖς ἀληθείαις τοιοῦτον ὑπῆρχεν, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὡσαύτως.“ Unde Epicurum maximam ἐναργίαν sive evidentiam illi iudicio sive criterio, quod πάθος vocabat, id est voluptati et dolori tribuisse apparet; hoc enim loco, ut sensuum visa, quae Graece φαντασίας nominat, vera esse demonstrēt, totam argumentationem ex voluptate et dolore deducit.

Restat tertia quaestio, quid verba: *quod ipsa natura, ut ait ille, sciscat et probet*, hoc loco significant. Quod ad verbum *probandi* attinet, nulla est difficultas; recte enim dici potest: „Natura *probat* illa iudicia veritatis, quae Epicurus *πάθη* vocat, id est voluptatem et dolorem.“ Sed quid sibi vult verbum *sciscendi*? Proprie enim *sciscere* idem significat, quod *cognoscere, comperire*, quem sensum habere hoc loco non potest; sensu autem translato significat *ratum habere, accipere, discernere* diciturque semper de populo aut plebe legem aut decretum aliquod sanciente. Hoc loco igitur talis est huius verbi usus, cuius alibi nusquam exstat exemplum apud scriptores Latinos, quare corruptelam hic latere verisimile est.

Simplicem emendandi viam monstrant nobis loci paralleli ex ipso Cicerone allati, ubi agitur, sicut hoc loco, de quaestionibus gnoseologicis; cf. Cic. Acad. II. 138: „ne labar ad opinionem et aliquid *asciscam* et *comprobem* incognitum“; ibid. II. 141; „tu, cum est commotus, *asciscis*, adsentiris, *adprobas*“; ibid. II., 125: „Tu vero ista ne *asciveris* neve fueris commenticiis rebus *assensus*.“ Adde Cic. Tusc. II. 30: „omnia, quae *natura* aspernetur, in malis esse, quae *asciscat*, in bonis“; Cic. De fin. III. 17: „quae prima sunt *ascita* natura, diligamus.“



Natura igitur, quod probat, *asciscit* i. e. accipit, non *sciscit*. Ergo pro *sciscat et probet* scribendum: *asciscat et probet*.

Nos igitur ante §. 23. nullam esse lacunam censemus verbaque in quaestionem vocata, levissima coniectura adhibita, ita explicamus:

„Confirmat autem (Epicurus) illud (iudicium veritatis) vel maxime, quod ipsa natura, ut ait ille, *asciscat* et probet, id est voluptatem et dolorem.“

Nam, quae Cicero hactenus dicit, pertinent ad Epicuri dialecticam. Sequitur transitus ad ethicam hisce verbis: „Ad haec (scilicet ad voluptatem et dolorem) et quae sequamur et quae fugiamus, refert omnia“, sicut apud Epicurum ipsum teste Diogene Laertio l. X. c. 34: „*Ἠλέθη δὲ . . . εἶναι δύο, ἡδονὴν καὶ ἀλγηδόνα . . . δι' ὧν κρίνεσθαι τὰς αἰρέσεις καὶ φυγὰς.*“ Ubi iure admiramur artificiosam disciplinae Epicureae compositionem; ex eis enim, quae de criteriis veritatis dicuntur, pendet tota de summo bono doctrina et pars dialectica sive canonica cum parte ethica ita cohaeret, ut *secerni* nullo modo possint.

## II.

Sed mihi in hac quaestione desudanti in mentem venit alter Ciceronis locus, ubi similem in modum dialectica Epicuri reprehendit utiturque verbis Epicureis. In tertio enim De finibus libro (c. 12. §. 40.) haec reperiuntur:

„Scio enim esse quosdam, qui quavis lingua philosophari possint; nullis enim partitionibus, nullis definitionibus utuntur *ipsique dicunt ea se modo probare, quibus natura tacita assentiatur.*“

Cicero igitur hoc loco Epicurum logicam philosophiae partem omnino neglexisse affirmat dicitque ipsis Epicureorum verbis sectatores Epicuri ea probare, quibus natura assentiatur; §§. autem 22—23. l. I., de quibus supra egimus, idem obiicit Epicuro dicitque Epicuri verbis utens eum illud maxime confirmare, quod natura probet. Unde duos hos locos artissimo cognationis vinculo inter se coniunctos diligentissimeque comparandos esse manifestum fit.

Sed cur dicitur natura *tacita* assentiri? Quid sibi vult hoc epitheton, quod Cicero ab Epicureis se sumpsisse testatur, sed loco supra tractato non affert? Neque enim hunc locum recte interpretari possumus, nisi invenimus Graecum Epicuri verbum, quod idem significet. Videamus igitur ea Epicuri fragmenta, quae ad illam celeberrimam cognitionis regulam (*κανών*) pertinent.

Sensuum visa vera esse ita Epicurus docet auctore *Diogene Laertio* (l. X. c. 31.): „Πᾶσα γὰρ, φησίν, αἴσθησις ἀλογός ἐστι καὶ μνήμης οὐδεμιᾶς δεκτική. οὔτε γὰρ ὑφ' αὐτῆς κινεῖται οὔτε ὑφ' ἑτέρου κινηθεῖσα δύναται τι προσθεῖναι ἢ ἀφελεῖν.“ Eadem testatur *Sextus Empiricus* Adv. dogmat. II. 9: „τὴν τε αἴσθησιν ἀντιληπτικὴν οὖσαν τῶν ὑποπιπτόντων αὐτῇ καὶ μήτε ἀφαιροῦσάν τι μήτε προστιθεῖσαν μήτε μετατιθεῖσαν τῷ ἀλόγῳ εἶναι, διὰ παντός τε ἀληθεύειν.“ Confer eiusdem *Sexti Empirici* verba Adv. dogmat. I. 203: „Αἰ δὲ δόξαι οὐ πᾶσαι ἦσαν ἀληθεῖς, ἀλλ' εἶχόν τινα διαφορὰν. Τούτων γὰρ αἰ μὲν ἦσαν ἀληθεῖς, αἰ δὲ ψευδεῖς, ἐπεὶ περ κρίσεις καθεστᾶσιν ἡμῶν ἐπὶ ταῖς φαντασίαις ἢ παρὰ τὸ ἀφαιρεῖν τι τούτων καὶ κοινῶς καταψεύδεσθαι τῆς ἀλόγου αἰσθήσεως.“ Eodem spectant *Aristoclis* verba apud Euseb. Praep. Evang. XIV. 20, 9. p. 767: „ὁπότεν μέντοι φῶσιν, ὡς ἡ μὲν αἴσθησις οὖσα ἀλογος οὐδὲν προστίθησιν οὐδ' ἀφαιρεῖ, φαίνονται τὰμποδῶν οὐχ ὁρῶντες.“ Vides iam Epicuri sententia sensum ideo esse certissimum veritatis criterium, quod ἀλογος sit, id est *ratione careat*.

Sed idem affirmat Epicurus etiam de altero veritatis criterio, de voluptate et dolore, ut *Diogenes Laertius* l. X. c. 137. testatur: „Ἀποδείξει δὲ χρῆται τοῦ τέλος εἶναι τὴν ἡδονὴν τῷ τὰ ζῷα ἅμα τῷ γεννηθῆναι τῇ μὲν εὐαρεστεῖσθαι, τῷ δὲ πόνῳ προσκρούειν φυσικῶς καὶ χωρὶς λόγου. Secundum Epicurum igitur voluptas et dolor ideo sunt certissima criteria τῆς αἰρέσεως καὶ φυγῆς, quia omne animal, simul atque natum sit, haec criteria sequitur *natura* (φυσικῶς) et *sine ratione* (χωρὶς λόγου). Quare Cicero, cum scriberet: *ipsique dicunt ea se modo probare, quibus natura tacita assentiatur*, hunc vel similem Epicuri locum ante oculos habuisse putandus est, sed videtur verba: *χωρὶς λόγου* parum

intellexisse, quod ei, cum philosophos Graecos non ea, qua par erat, cura legeret, saepius accidit. Nam *χωρίς λόγου* propter duplicem vocis *λόγου* sensum duas habet significationes, scilicet *sine ratione* et *sine oratione*, sicut etiam *ἄλογος* et *ratione carens* et *mutum* significare potest. Quod autem oratione sive sermone caret, id est *tacitum*. Haec est origo infelicis epitheti *tacita*; Cicero enim pro: *natura tacita assentiatur* dicere debebat: *natura sine rationis adminiculo assentiatur*. Iam De fin. I. I. 30. recte dicit idem Cicero: „Omne animal simul atque natum sit, voluptatem appetere eaque gaudere ut summo bono, dolorem aspernari ut summum malum . . . idque facere nondum depravatum, *ipsa natura* incorrupte atque integre *iudicante*. Itaque negat opus esse *ratione* neque disputatione, quam ob rem voluptas expetenda, fugiendus dolor sit. Sentiri haec putat, ut calere ignem, nivem esse albam, mel dulce; quorum nihil oportere exquisitis *rationibus* confirmare.“

---



